

III.

Litterae foundationis Colleg. S. Anselmi de die 18. April. 1893.

In nomine sanctissimae Trinitatis: Amen.

Sanctissimus Dominus Papa Leo XIII. quum pro summo quo ordinem monasticum fovet amore, vel a pontificatus sui exordiis plurima in Patriarchae Cassinensis familiam contulerit beneficia, sive coenobia erigendo, sive constitutiones sanciendo, sive viros monasticis palaestris exercitatos sacra purpura augendo, sive denique nomen munusque Protectoris rerum monasticarum sibi vindicando, supremum sui amoris testimonium, Basilicam, Abbatiam, Collegium S. Anselmi aere proprio erigenda curavit.

Area iam parata ubi haec aedes erit excitanda, hodie die XVIII. Aprilis, anno reparatae salutis 1893, Leonis XIII. feliciter regnantis XVI., Reverendissimus et Eminentissimus Cardinalis Dusmet de Smours, O. S. B. Cong. Cassinensis, titulo Sanctae Pudentianae, Archiepiscopus Cataniensis, Praesulum Abbatum Monachorumque e dissitis regionibus Romam confluentium corona stipatus, primarium lapidem Ecclesiae S. Anselmo Doctori sacrae, ad honorem Dei, solemniter collocavit.

Superna benedictione in hoc operis exordium implorata, superest, ut omnipotens Deus ab opificibus in erigendo aedificio occupatis sinistra avertat, tantumque opus ad finem feliciter perducatur.

Protegat etiam atque tueatur operarios monachos, quos labentibus annis e multitudine populorum huc vocabit, ut pietati et studiis operam strenue navent, vineam Domini excolant, laudis divinae opus angelorum aemuli indesinenter persolvant. Lapis iste angularis, in imis aedificii positus, pignus sit protectionis Illius, qui divina humanaque coniungens, a principio in inaccessibili lumine a Patre est genitus ac in plenitudine temporum in utero Virginis almae carnem assumpsit. Verbum Dei, fons omnium verborum, sit lumen, quod illuminet omnes venientes in hunc locum. Filiusque Mariae mitis et humilis, sit exemplar et virtus omnium in his aedibus habitantium. Sit denique hoc aedificium Jerusalem nova, pacis civitas in monte posita, supernis civibus jucunda, terrestribus incolis virtutis ac scientiae focus.

Et ut vota nostra Deo fiant gratiora, in sacratissimo corde Salvatoris Nostri I. Ch. ea pie deponimus, ac Deiparae materno amori commendamus. Adsint etiam ad thronum Dei pro nobis intercessuri Archangelus Michael, Sanctus Joseph, Sancti Apostolorum Principes Petrus et Paulus et Sanctus Doctor Anselmus

huius coenobii Patronus, ac insuper beatissimus Patriarcha Benedictus, totius huius sacrae religionis parens et legifer et custos.

Quorum omnium numismata una cum hoc documento in lapide deposita reclusa maneant, donec in Die Domini omnia in melius transformentur fiatque terra nova novumque coelum.

In quorum fidem infrascripti nomina sua apposuerunt.

N. N.

IV.

Decretum congregationis de Propaganda fide quo PP. Benedictinis Abbatiae S. Joannis B. loci Collegeville Stat. foed. Americae certae quaedam missiones in perpetuum addieuntur. Datum 23. Junii 1893.

Cum Patres Benedictini ex Abbatia S. Joannis loci Collegeville in Dioecesi S. Clodoaldi Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, plurimis exantlatis apostolicis laboribus ad fidei propagationem per eas circumregiones longa annorum serie incubuerint, pluresque Missiones felici exitu constabiliverint, visum est huic S. Congregationi Christiano Nomini Propagando, ad eorum instantiam atque accedente consensu R. P. D. Othonis Zardetti Episcopi S. Clodoaldi una cum consilio Consultorum ejusdem Dioecesis, memoratae Abbatiae PP. Benedictinorum in perpetuum addicere, ad curam spiritualem fidelium gerendam, Missiones sequentes respective dictas: St. Martin, Albany, Cold Spring, Farming, Freeport, New Munich, Meiers Grove, Richmond, St. Joseph, et Immaculatae Conceptionis in urbe S. Clodoaldi, salvis tamen in omnibus Pontificiis Constitutionibus, ac nominatim ea quae incipit »Firmandis«, Benedicti XIV, et ea cujus initium »Romanos Pontifices« a Leone XIII gloriose regnante edita. Reliquae vero Missiones, quas in praedicta Dioecesi PP. Benedictini memorati hactenus fundaverint atque administraverint, in libera Episcopi potestate et dispositione maneant. Id autem cum eidem SSmo D. N. Leoni Pp. XIII relatum fuisset ab infrascripto Archiepiscopo Larrissen, ejusdem S. Congregationis Secretario in Audientia 18 vertentis mensis Junii, Sanctitas Sua benigne approbavit, ac praesens de re Decretum edi jussit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 23 Junii 1893.

M. Card. Ledochowski, Praef.

F. Aug. Archiep. Larrissen, Secrius.